

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro *unoquoque centimetro quadrato*.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, *commentarii VOX URBIS* possessorem et administratorem
ROMA — *Via Alessandrina, 87* — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA Apud GEBETHNER ET WOLF VARSAVIAE POLONORUM Krakowskie Przedmiescie, 15	IN ANGLIA Apud BURNS AND OATES LONDON W. 28, Orchard Street.	IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAЕ SEPTEMTR. Apud FRIDERICUM PUSTET S. Sedis. Apost et S. Rituum Congr. Typogr. NEW YORK 52, Barclay Street.	IN GERMANIA Apud FRIDERICUM PUSTET S. Sedis Apost et S. Rituum Congr. Typogr. RATISBONAE in BAVARIA	IN CANADA Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES MONTREAL 1699, Rue Notre-Dame.
---	---	---	---	---

RERUM INDEX

DE DIEBUS FESTIS APUD GERMANOS.	P. Alt.
DE PROBAE FALCONIAE VERGILIANO CENTONE.	M. Belli.
LAPURDUM	F. X. Reuss.
GRAECA IN AEGYPTO POPYRA REPERTA.	N. Capo.
DE AUGUSTEIS NAVIBUS IN LACU NEMORENSI DEMERSIS	H. D. V. Pieralice.
DE « CYMATOLOGIA ».	Forfex.
ALOISII CLASII « LUSUS PASTORALES ». Latine vertit	I. Battanius.
DE CASSIO SEVERO	I. Marra.
ANNALES	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	Scriba.
AENIGMATA	Digamma.

In tertia operculi pagina:

PER ORBEM	Viator.
VARIA: Telemetrum acusticum. - « Helladotherium » recens inven- tum. - Ioci	P. d. V.
LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.	

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

M CMI

COMMENTARII "VOX URBIS", INDICES SINGULI

IX num. ann. IV.

Poetici certaminis victor argenteo numismate decoratus - VOX URBIS - FR. X. REUSS.
Kalendis Maiis M CMI - I. TONIOLO.
De latina lingua in popularibus athenaëis - H. DE VEOCHI-PIERALICE.
De Sinensium Milesiis fabulis - A. COSTAGGINI.
«Typographia» ac «telegraphus» apud antiquos - R. PANCARO.
De Tertulliano rhetore - I. MARRA.
Crucis historia - Ex ineditis M. ARMELLINI.
Arabum mores - A. VIEILLOT.
Lollius sive de provecta latinitate - P. ANGELINI.
Quorundam animalium viae, pugnae, instinctus - M. LANI.
Ex Americis - De praeside Mac Kinley suo muneri initiato - H. DOSWALD.
Annales - POPPICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - I. F.
Aenigmata - I. BATTANIUS.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Paschalis currus et Columba Paschatis, Florentiae - Cornix et bellum - Infernane dicenda urbs erit?*... - Ioci - P. d. V.

X num. ann. IV.

E Sinis novissima dubia - P. ROSSANI.
De latina lingua in popularibus athenaëis - H. D. V. PIERALICE.
Iaponiorum fabulae commenticiae - A. COSTAGGINI.
De sancto Paulino poeta - I. LEMETTE.
In saeculum XX a reparata per Christum hominum salute - FR. X. REUSS.
De planeta Marte - ALPHA.
De Sibyllis a Raphaelae Sanctio pictis - LAELIUS.
Nuperae effossiones in Graecia et Mycenaea aetas - G. P.
Ludi veteres et recentiores - De «digitorum micatione» - SENIOR.
Napoleonis ingluvies - I. ANTONELLI.
Lollius sive de provecta latinitate - P. ANGELINI.
Horae subsecivae - In Iosephi Verdi obitu - A. PIZZUTO - Graphis ex vero adumbrata - I. FEDELE.
De tabaco nonnulla - P. ALEXIS.
Annales - POPPICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - P. A. - H. P.
Aenigmata - F. PALATA.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Insanienti restituta mens per singularem interpretationem* - Ioci - P. d. V.
Epistolarum commercium - A. SECRETIS.

XI num. ann. IV.

De arbitris lege adeundis - P. ROSSANI.
De graecis litteris tuendis in scholis secundi ordinis - N. CAPO.
Musica et excellentes ingenio viri - SENIOR.
De Hieronymo Venantio deque eius libro qui «Callophilia», seu «de puleri amore» inscribitur - MARCUS BELLI.
Divini Spiritus repraesentatio apud Urbevetanam civitatem - ALOISIUS FUMI.
De urbano templo S. Caeciliae deque recentibus in ipso effossionibus - ROMANUS.
Quorundam animalium viae, pugnae, instinctus - M. LANI.

Communia vitae - Peregrinatio per cubiculum - H. D. V. PIERALICE.
Lollius sive de provecta latinitate - P. ANGELINI.
In Iosephum Verdium - A. CERASOLI.
Latinae adnotatiunculae: Factio, Seditio, Rebellio, Tumultus - FORFEX.
Annales - POPPICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - I. M.
Aenigmata - I. BATTANIUS.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Funera canis - Nova in latrones ex apibus arma - Photographia ex electrone - Bibliotheca Babilonensis - Utilitas ex fumo - Ioci* - P. d. V.

XII num. ann. IV.

Victis atque victoribus quae sit in coloniis fortuna - P. ROSSANI.
De humaniorum litterarum progressu post recentissima physicorum incrementa - Ex scriptis MAURI RICCI.
De disciplinis pueris traditis apud Romanos - G. P.
Par viatorum - De vita humana meditatio - FR. X. REUSS.
Ex Americis - De urbe Pittsburgensi - H. DOSWALD.
Sapientum inventa - Sol in servitutem redactus - Vita in metallis - M. LANI.
De Clasio poeta - v. u.
Adamantum fulgidissimae gemmae - A. COSTAGGINI.
Arabum mores - A. VIEILLOT.
Annales - POPPICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - X.
Aenigmata - FR. PALATA.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Interdum quanti sit induere vestes alienas* - Ioci - P. d. V.

XIII num. ann. IV.

De Russorum imperio - D. LASCARIS.
Civile liberalium artium officium - I. ANTONELLI.
De sancto Paulino poeta - I. LEMETTE.
De urbe Propertii natali - FORFEX.
Custos Massiliensium Maria (*Notre-Dame de la Garde*) - FR. X. REUSS.
Ex Caledonia - De studiorum Universitate Glasguensi - SCOTUS.
Beati Angelici Faesulani tabula Petrum apostolum referens Christianos admonentem - LAELIUS.
Populare Helvetiorum theatrum - A. COSTAGGINI.
De nuperis effossionibus cretensibus - G. P.
Aloisii Clasio «Lusus pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.
De americanarum rerum ostentu ad urbem Uropolim - I. De urbe Uropolitana Buffalo - H. DOSWALD.
Arabum mores - A. VIEILLOT.
Annales - POPPICOLA.
Aenigmata - FR. PALATA.

In tertia operculi pagina:

Sociis monitum - *Vox Urbis*.
Per orbem - VIATOR.
Varia: *Rhinoceros albus* - Ioci - P. d. V.

XIV num. ann. IV.

Ad «Praeconem Latinum» - N. CAPO.
De subtiliore latinae orationis cognitione - A. CIMA.
Pax! - A. M. CERASOLI.
Latinae adnotatiunculae - Maurus Riccius Ioanni Taddeo - Ex scriptis M. RICCI.
Oratio ad discipulos gymnasii habita studiis absolutis - I. WABNER.
Ab Helvetia ad Nordicum caput - LAELIUS.
Collectiones et collectores - H. D. V. PIERALICE.
De polari vertice attingendo - A. COSTAGGINI.
Aloisii Clasio «Lusus pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.
Frustula - FORFEX.
Annales - POPPICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Aenigmata - FR. PALATA.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *De nivatis scitamentis* - Ioci - P. d. V.

XV num. ann. IV.

Australiae civitates iure domini communicato constitutae - P. ROSSANI.
De pronuntiatione et studio linguae latinae - H. P.
De legalitate coemeteriorum christianorum - Ex ineditis M. ARMELLINI.
Uvae cornuatae origo - H. D. V. PIERALICE.
Theatrum olympicum vicentinum - LAELIUS.
De liberalium artium fato in futura publica re - I. ANTONELLI.
Alexander Botticellius - A. COSTAGGINI.
Communia vitae - De salutatione - P. ALEXIS.
Aloisii Clasio «Lusus pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.
De «phototerapia» - FORFEX.
Arabum mores - A. VIEILLOT.
Annales - POPPICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Aenigmata - A. E. DE DRUFFEL.
In tertia operculi pagina:
Sociis monitum - *Vox Urbis*.
Per orbem - VIATOR.
Varia: *Ioci* - P. d. V.

XVI num. ann. IV.

Leoni XIII Pontifici Maximo - R. REYES.
Consociationum vires quomodo exerendae - I. TONIOLO.
De Cassio Severo I. MARRA.
Athenaea et auditores in America - SENIOR.
Fr. Angelici Faesulani tabula Deiparam in caelum evectam referens - X.
Recens aëriae navigationis progressus - M. LANI.
Vita functi viri clariores - I. F.
Theatrum Marcelli - ROMANUS.
De legalitate coemeteriorum christianorum - Ex ineditis M. ARMELLINI.
Aloisii Clasio «Lusus Pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.
Ex Istria - L. P. MICROVIR.
Frustula - FORFEX.
Annales - POPPICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - P. ANGELINI.
Aenigmata - A. E. DE DRUFFEL.

In tertia operculi pagina:

Sociis monitum - *Vox Urbis*.
Per orbem - RUFUS.
Varia: *Quaenam innocentibus culpa, consensu gentium confirmata?* - Ioci - P. d. V.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETIUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:

ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

DE DIEBUS FESTIS APUD GERMANOS

*Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et grave, suspenso vomere, cesset opus.*

HAEC Tibullus ethnicus felici Musa scribebat, quasi ut qui Christiani nunc sunt pudore suffunderentur; ridiculum dictu quippe est, quasi propria re, frui diebus singulis eos, quibus dono dati sunt ad utendum, illum autem die certo et proprio carere, cuius ordinatione perseverant dies. At illud solemne «diem sabbati sanctifica», quod humana voluit abolere nequitia, quasi naturale aliquid esset, quamvis expulsus furca, recurrit in mores; «non enim homo propter sabbatum, sed sabbatum propter homines factum est», atque ideo qui impatientes Numinis ex albo dierum sacros Deo et faustos expungebant supremis XVIII saeculi annis dies, mora non fuit quominus XIX saeculi supremis annis eos non modo restaurandos peterent, sed lege cavendum dicerent ut quieti penitus addicerentur.



Iam qui rebus praeficiuntur publicis de hac lege disceptant, iamque lex in stilo est, credenda tabulis monumentisque civitatum, cum repente oritur quaestio, cui satisfacere verbis facillimum, praxi constituere difficile et asperum. Dies enim dicatos Deo, quibus a laboribus quiescere necessum est, religiones diversae inter se diversos habent; atque idcirco redemptores operum, sive privati, sive publici, operariorum turmas, quibus uti in aedificiis, in opificiis, in quibuscumque faciendis solent, numquam integras habent, defectumque modo manipulorum, modo ducum patiuntur. Credo equidem; nam Christianos ab operibus revocat Dominica dies, Veneris dies Turcas, sabbatum arcet Hebraeos. Conciliandi ne dies legi, vel diebus lex? Clarius explicio: statuendusne dies certus religionibus omnibus, isque unus, puta Dominicus, tam Turcis quam Hebraeis, aut cuique genti proprius, quo nunc utitur, relinquendus?

Si primo acquiescimus Christiani haerebunt, rebellantibus et invitis, et transversa tuentibus Hebraeis ac Turcis; si alteri morem geramus insoluta linquitur quaestio frementibus ac murmurantibus operum redemptoribus, qui, coniuratione quasi facta, invitos ad labores die sacra

cogunt et adigunt minis adhibitis, ac damno proposito, quo semel absens operarius a persequendo opere et mercede consequenda removeatur.

Quum igitur in eo simus tempore, quo etiam apud exterarum nationum id fiat quod publica res poscit, civitas flagitat, aequum ducimus rem quaquaversus considerare ac pensitare, et quae facta sunt apud nos palam proponere tum, si optima visa fuerint, ut reliqui illa imitentur, tum, si bona tantummodo, ut aliquis ex nobis exponat, quod optimum iudicaverit.



Primo igitur cautum est, ut omnis festus dies quatuor et viginti horarum spatio contineatur; si festi duo simul dies, unus post alium, immediate successerint, tum requies duodecim insuper horis cumulatur, nec horis octo et quadraginta gaudet, sed sex ac triginta. Quod si feriae illae maximae habeantur, — ex gr. Natalis Domini, Pascha Resurrectionis, ac Pentecostes, — tum bini integri sine laboribus erunt dies, duo de quinquaginta scilicet horae operibus omnino carebunt.

Insuper cautum est Dominicis diebus nefas esse quicquid operosum agere toto prorsus imperio, nec homine excepto, nec loco; et constitutae sunt poenae, quibus animadvertatur in sontes, sive operarii sint, sive magistratus. Quodsi subitaneum, impraevisum aliquid contigerit, singulis civitatibus, singulis oppidis, quibus constat imperium, facta potestas est non immutandi, sed interpretandi legem iuxta principium illud, quo, ut antea memoravi, dies ad quietem propter homines datus est; quomobrem et necessitati supervenienti morem singuli gerant, et iussis una divinis imperatoriisque deserviant.

Ecquid autem si, quod nostris praesertim temporibus accedit, habeatur vel officina, vel emporium, vel aliquid simile huiusmodi, cui necessarius sit iugis labor, iugis operariorum frequentia, et saltem praesentia? Vel huic necessitati provisum, praeceptumque ut singulis operariis quinque, non minus, horae sint labore quovis vacuae, iisque possit unusquisque quiete frui, divinis dare animum ritibus, familiae, si fuerit, adesse, ut secum in templa adducat religioni obsequens obsequentem.

Et quoniam Christianis (etsi inter se dissentientibus, Christicolis tamen omnibus) nostrum constat imperium, quae de Dominicis diebus, ac de reliquis maximo prosequendis cultu, uti Pascha sunt, Pentecostes, etc. constituta videmus, tum singulis, tum omnibus ad amussim aptantur, et, quae de Dominica, de Natalitia, de Paschali die, communia sunt omnibus. De iis autem, quae diversos ad cultus Christianos, iuxta nomina, pertinent, ita fit ut cuique oppido, civitati, reipublicae, id sit, quod pro opportunitate propria cumulet; festos nempe superaddat dies, nulli et nemini sit fas, quae ex lege sunt vel abolere, vel immutare, nec emporiorum, vel opificiorum dominis contra libertatem lege sancitam aliquid vel tentare, vel facere.

Quid denique de Hebraeis? Vetitum iis Dominico die festisque apud christianos diebus, laboribus dare operam, aut, si domini sint, emporia et opificia operariis laboraturis patefacere; si sabbatis suis indulgere vacui voluerint, quod optimum sibi videtur hoc faciant. Id spectat generale illud praeceptum calendis Iuniis anno MDCCCXCI datum (§ 105), cui lex tota, quanta est, obsequitur ac famulatur.

Ad coronidem dicam, quoniam decennali iam fuit experimento probata lex, querelis multis legem initio acceptam fuisse; obtemperatum autem fuisse, quia iussa Caesaris indeprecabilia et relabi nescia poenis instarent. Postea, experientes non mediocrem inde commoditatem populisque pacem, non modo libenter amplexi hanc sunt, sed nunc vel inviti relinquerent. Unum obstat; aegre, scilicet, adhuc legi, eos acquiescere, quibus lucra desunt Dominico die, nempe venditores tabaci, bellariorum, ofellarum, salsamentarios et huiusmodi; nam venalia haec apud «kafearios», apud caupones, quinimo apud ambulatores et vagos mercatores quisque habet, qui non modo de domo in domum, ut aiunt, sed vicatim vendenda ferunt per pagos vel ipsa ad vestes, mundum, cultumque pertinentia. Ista non nego ea esse, quae aliquid ponderis habeant, sed pariter hisce debemus si exiguum commercium rerum, quod «individuale» dixerim, eo creverit, ut pluribus ad vivendum sit satis, plures ab inopia sublevet, plurimis, ne fere omnibus dicam, utile sit atque iucundum.

Propterea finitimae nobis respublicae, catholicis praesertim satagentibus comitiis, uti apud Belgas, operae pretium ducunt si nostras has leges in patrias suas ex integro invexerint, quod et utile hominibus, et acceptabile iubenti Deo remur futurum.

P. ALT.

DE PROBÆ FALCONIÆ VERGILIANO CENTONE

Quae de Probae Falconiae vergiliano centone, Veteris Novique Foederis facta exprimente, dicturi sumus, etsi parvi facienda sunt, quod musivum iamque obsoletum poëticum dicendi genus respiciunt, tamen si rei novitatem, industriam et laborem, quo id carmen confectum est, spectes, in eo perlegendum numquam inanem insumpsisse operam credas. Praeterea, quoniam de latinis christianis litteris agimus, quarum vices, temporum calamitate, non raro ipsis antiquitatis studiosis parum compertae, tenebris latent, quis neget aliqua parte prodesse harum monumenta, ut minima, pro merito illustrare? Saepe enim « si licet, in parvis, exemplis grandibus uti » tenuissimi filii ope Daedali claustra reserantur! At nos non tanti, profecto, sumus, qui speremus fore ut promissis maiora perficiamus: contenti erimus, si quae de Probae Falconiae carmine, quod *Cento* inscribitur, disputabimus, rite perspecta aequisque accepta animis, bonis studiis fovendis aliquod, qualecumque erit, afferant incrementum.

In primis quid de Proba Falconia eruditi homines sentiant et iudicent videamus.

S. Isidorus Hispalensis in *Originibus* (1) haec habet: « Proba, uxor Adelphi (qui Valentiniano I imperante proconsul fuit) centonem ex Vergilio *De fabrica mundi et Evangeliiis* plenissime expressit ». In Codice Palatino (2) saeculi IX vel X legimus: « *Cento* Probae inlustris »; et in alio Codice mss. (Montfauconius auctor est) saeculi X, in fine (3): « Proba, uxor Adelphi, mater Olybrii et Alypii, cum Constantini bellum adversus Magnentium conscripsisset, conscripsit et hunc librum ». Haec veterum testimonia sunt, quos penes de Proba Falconia uberiores notitias perperam quaeras. Ex recentioribus libet audire B. Iungmannium (4): « Iam antehac sub finem saeculi IV, Proba Falconia, pia matrona romana, huiusmodi centonem vergilianum composuit, qui sacram utriusque Testamenti historiam versibus hexametris e Vergilio decerptis exhibet ».

Cum fere omnia tenebris circumfusa nobis obversentur, de aetate et vita Probae Falconiae id unum coniectura effici cogique potest, Probam Falconiam, Olybrii et Alypii matrem, Adelphii, ex nomine et praenomine Clodii Celsini (5) ap-

pellati, uxorem fuisse, qui proconsulis, vel, iuxta alios, praefecti Urbis, Valentiniano I imperante, munere functus est. *Centonem* confecisse Honorio imperante; quod ex carminis dedicatione evidentissime patet. Vitam obiisse paulo post annum CCCCXIV, cum, tum temporis, S. Augustinus eam aetate valde provecam memoret (1).

Ideo, contra Procopium ceterosque rerum scriptores, qui eius sententiae adhaeserunt, pro certo est, Probam Falconiam nihil commune habuisse, neque cum Valeria Proba, neque cum Anicia Faltonia Proba, Sexti Anicii Petronii Probi consulis uxore, quam nonnulli prodictionis crimine incusant, quod Gothi urbem Romam diripiendam tradiderit.

Qua in re, scilicet ut a bona Probae Falconiae fama tam immane facinus amoveretur, Iustus Fontaninus sedulo adlaboravit. Verum, ante Fontaninum, Thomas de Simeonibus Vibo-Valentini, augustinianus sodalis, vir mira eruditione instructus, litem hanc, de qua olim inter litteratos iudices magna contentione actum fuit, meliori fato diremit. Cuius dissertationis, hodie perrarae, titulum Hier. Tiraboschius in sua *Litterarum italicarum historia* (2), ita refert: « Historica dissertatio Romano-eclesiastica de tollenda penes gravissimos scriptores inlita ambiguitate et confusione inter duas antiquas Romanas Matronas professione christiana celebres, videlicet Falconiam Probam Sex. Petronii Probi U. C. uxorem, Olybrii, Probi et Probi consulum matrem et Valeriam Falconiam Probam Adelphi proe. coniugem, poëtriam ingeniosissimam, quae centonem vergilianum de Xsto confecit. Auctore Thoma de Simeonibus Vibo-Valentini augustiniano, vulgo a Monteleone nuncupato, Sac. Theol. Mag. et in Aemilia sui Ordinis Pr. Provinciali, Bononiae, apud heredes Antonii Pisarii, 1692, in-4° ».

Quod autem attinet ad Probae Falconiae patriam, etsi Fontaninus (3) eam Hortae, in romano agro, natam esse contendit, ex veterum monumentis parum liquet; ipsaque argumenta, quibus Fontaninus suam sententiam tuetur, non omnibus adeo firmissima visa sunt, quae, in re salebrosa, nihil dubitationis relinquerent. Quapropter ad probabiliorem opinionem illorum, qui poëtriam nostram piam romanam matronam fuisse tradunt, libenti animo, accedimus; tum quia Probam Falconiam Romae vitam egisse communiter constat, tum quia scriptorum silentium vetat, quominus in contrariam partem abeamus.

Sed ad propositum, a quo digressi sumus, reverti tempus est: quid, in primis, de illo poëtico dicendi genere quod *centonem* vocant? Vel quinam, primi, hanc musivam carminis formam usurparunt? Postremo, quaenam centonis Probae Falconiae ratio?

Summatim singula perpendamus.

Qui primus centonum genus invenerit, Hosidius Getam, Romae consulem cum Vagelleio, anno post Christum natum XLVII, fuisse tra-

dunt. De quo Q. Sept. Flor. Tertullianus (1) scribit: « Vide hodie ex Vergilio fabulam in totum aliam componi, materiam secundum versus, versibus secundum materiam concinnatis: denique Hosidius Geta *Medeam* tragoediam ex Vergilio plenissime exsuxit: meus quidem propinquus ex eodem poeta inter cetera stili sui etiam *Pinacem* Cebetis explicuit. Homero-centones etiam vocari solent, qui de carminibus Homeri propria opera, more centonario, ex multis hinc inde compositis in unum sarcunt opus... ». Patet igitur ex Tertulliani testimonio, ab Hosidio Geta *Medeam* tragoediam, ex Vergilio, centonario more, fuisse conscriptam: quem pone sequitur eiusdem Tertulliani ignoti nominis propinquus, qui Cebetis πίναξ (idest *tabula*), ex graeco, vergilianis versibus in latinum convertit. His adde Ausonium et Valentinianum I. Prioris est *Cento nuptialis* (Id., XIII), quod Ausonius ipse « frivolum et nullius pretii opusculum appellat »; « nos autem (cl. v. I. Lemette verbis utemur) (2), obscenum ludum dicimus, qui nauseam tantum lectori pudico simul et litterato movere possit. Centonem hunc ad nuptias describendas, rogante imperatore Valentiniano (qui eadem ratione argumentum tractandum usurpaverat tentareque volebat quid hac in re familiaris sibi poeta posset) composuit Ausonius ex vergilianis carminibus hinc inde collectis atque ita apte inter se consutis, ut de inconnexis continuum, de diversis unum opus conderet. Piget equidem vergiliani carminis dignitatem tam turpi deonestasse materia ».

Haec de latinis. Inter graecos sat erit meminisse S. Gregorium Nazianzenum, cuius exstat tragoedia illa Χριστός πάσχω (quamquam, iuxta Baronium, Bellarminum, Tillemontium, Eichstadium, etc., falso eius nomini addicitur), quae proprie vereque Euripidaeus cento dicenda est. Neque, hac nostra aetate, centonum conficiendorum exolevit mos; quo in genere, ut ceteros mittamus, Ioseph Giusti (3) non minimum meruit decus.

Veniamus nunc ad rationem centonis Probae Falconiae, quae, licet in eo elucubrando nullum nativi ingenii documentum praebuerit, tamen ob insignem pietatem industriamque, qua Veteris et Novi Foederis gesta vergiliano ore celebravit, ius habet, cui aliquod pretium adiudicemus.

Huius centonis praecipuae partes sunt:

- a) In Deum precatio (v. 1-28);
- b) Mundi procreatio (v. 29-147);
- c) « Originalis » noxa et poena hominibus data (v. 148-280);
- d) Diluvium noëticum (v. 281-290);
- e) Iudaeis bello pressis leges a Deo datae (v. 291-306);
- f) Christi incarnatio, vita publica, passio et mors (v. 307-716);
- g) Christi resurrectio et ascensio in caelum (v. 717-765).

(1) *De praescript. haeretic.*, c. XXXVIII, Mediolani, 1831.

(2) Cf. *Vox Urbis*, an. IV, n. I.

(3) Vide eius carmen, anno 1841 Florentiae editum, ob inventam Dantis Aligherii imaginem a Iotto pictam. Carmen hoc ex versibus Divini Poëmatas hinc inde collectis apteque inter se connexis fere totum constat. Neque oblivione obruendum erit aliud id genus pulcherrimum carmen, quod, item, ex Divino Poëmate, in honorem S. Thomae Aquinatis, centonario more confecit ediditque Leonardus Perosa (Cfr. Ab. Leonardo Perosa, *Armonie poetiche*, Venezia, 1875).

(1) I, XXXVIII, 25

(2) Cf. TEUFFEL, *Lett. rom.*, Patavii, 1873, II, § 414, n. 15.

(3) *Diar. ital.*, p. 36. Cf. TEUFFEL, *ibid.*

(4) *Patrolog. instit.*, Oeniponte, 1892, tom. I, p. I, pag. 444 in adnot. 3 ad Sedulium, cuius operibus dubiis cento vergilianus ab aliquibus accenseri solet. De Proba Falconia cf. praeterea S. ISID. HISP., *De viris illustribus*, c. XVIII, n. 22; C. OGDEN, T. I, col. 900-902; I. A. FABRICII, *Biblioth. mediae et infimae latinitatis*, s. v. Falconia, T. II, p. 142-144; PAOI, *Crit. ad a. 438*, n. 7; CELLIER, T. VIII, chap. X, n. 1-2, ed. II, T. VI; F. BARRÉ, *Gesch. et Rom. Lit.*, IV, 69-73.

(5) VITELLI-MARZONI, *Manuale della Lett. lat.*, Florentiae, 1898, § 141.

(1) Cf. I. B. FLORINDO, *Nuova cronologia di sacri carmi latini*, etc., Angri, 1895, pag. 92, in praef. ad *Centon.*, etc.

(2) Tom. II, pag. 431, in adnot., Venetiae, 1796.

(3) *De antiquit. Hortae*, lib. II, c. 1 et seqq.

Ita *Cento* septingentorum quinque et sexaginta versuum numero continetur.

Hinc facile perspicitur potest Veteris Foederis gesta post orbem conditum, Adami et Hevae praevaricationem, universique humani generis, per diluvium, excidium a Proba Falconia vix attigi; quod etiam patet ex vv. 305-306:

AE. I, 645 *Cetera facta patrum, pugnataque in ordine bella* AE. VII, 629.
G. IV, 148 *Praetereo, atque aliis post me memoranda relinquo.*

Fusius, contra, Christi gesta, ab ortu usque ad eius in caelum ascensum, describuntur. Quae nam igitur causa fuerit, cur Proba nonnulla Veteris Foederis facta silentio praetereunda putaverit, aliisque post se memoranda reliquerit, adfirmare non audeamus, nisi forte, percrescente Christianae fidei vigore, huic celebrandae impensius studuit.

Praeit centoni proemium duabus partibus constans: altera est carminis Honorio Augusto dedicatio (v. 1-18); altera est pia invocatio, qua Proba Deum precatur, ut sui cordis penetralia reseret, sicque, eius firmata auxilio, arcana cuncta valeat referre:

Nunc, Deus omnipotens, sacrum, precor, accipe carmen Aeternumque; tui Septemplicis ora resolve Flamini, atque mei resera penetralia cordis, Arcana ut possim, vatis Proba, cuncta referre.
(v. 9-12).

Non omnibus tamen litteratis hominibus pars prior, idest in Honorium Augustum dedicatio, genuina censenda videtur. Hanc immo Teuffelius (1), quam inconditis versibus exaratam dicit, tribuit cuidam grammatico, qui fortasse Arcadio Probae centonem a se exscriptum dicaverit:

Haec relegas, servesque diu, tradasque minori Arcadio: haec legat ille tuo generi: haec tua semper Accipiat, doceatque suos Augusta propago.
(v. 13-15).

Verum Teuffelii sententia ea ne est, quam, omni abiecta cunctatione, quisque sequi possit? Arcadius, qui, ex occasione tantum, hic in dedicationis conclusione, a poetria ut frater minor Honorii inducitur, cur, contra communem opinionem, auctor princeps, cui totum dicitur carmen, erit habendus? Quid vero propius quam quod centonem a pia matrona sibi dicatum Honorius Arcadio fratri legendum tradat? Quod autem Teuffelius hosce dedicationis versus crimine ignoratae artis premat, valde miramur! Id num satis erit, ut de genuino proemii ortu dubitemus? Quum Probae Falconiae *Cento* tantum exstet, nam carmen de bello civili Constantinum Magnum inter et Magnentium modo desideratur, quo nitentur fundamento, ut de eius poetica virtute, aequa lance, iudicemus? Si quod, ad rem, iudicium nobis ferendum est, dicemus nostrae poetriae stilum, prouti ex *Centonis* proemio facile intelligitur, immodico Lucani scribendi genere turgescere, quam vergilianis luminibus nitere: idque pro tempore est, cum poetae, quos rerum latinarum scriptores pseudo-vergilianos appellant, ut Lucanum, Statium et Silium Italicum, primis post Christum natum saeculis, principem locum obtinuerint.

Totam centonis rationem pluribus verbis pendere importunum ac prorsus inutile est: quia

Probae carmen plane musivum nullaque nativa venere ornatum. Iuverit aliquos tantum afferre locos, qui poetriae religiosos sensus Vergilii ore affabre expressos luculentissime evincant.



Itaque, ut in ea potissimum incumbamus, quae christianae religionis $\delta\delta\gamma\mu\alpha\tau\tau\alpha$ proxime spectant, audi serpentem Hevae insidias struentem:

AE. VI, 318 *Dic, ait, o virgo, lucis habitamus opacis*, AE. VI, 673
» VI, 674 *Riparumque toros, et prata recentia rivis*
» VI, 675 *Incolimus; quae tanta animis ignavia venit?* AE. XI, 733
B. VII, 54 *Strata iacent passim sua quaeque sub arbore poma,*
G. III, 529 *Pocula sunt fontes liquidi: caelestia dona* G. IV, 1
AE. II, 719 *Attrectare nefas? id rebus defuit unum.* [AE. XII, 643
» V, 631 *Quis prohibet causas penitus tentare latentes?* AE. III, 32
» VIII, 187 *Vana superstitio; rerum pars mortis adempta est* AE. XII, 879
» XII, 880 *Conditio: mea si non irrita dicta putaris.* AE. X, 244
» XII, 159 *Auctor ego audenti sacrata resolvere iura.* AE. II, 157
» IV, 113 *Tu coniuæ, tibi fas animum tentare precando;*
B. VIII, 38 *Dux ego vester ero: tua si mihi certa voluntas* AE. IV, 125
AE. III, 224 *Extruimusque toros, dapibusque epulamur opimis.*
(v. 59-71).

Ob patratam «originalem» noxam Deus Adamum et Hevam devovet, cuius devotionis ineluctabile fatum adhuc in posteris perseverat:

AE. II, 535 *At tibi pro scelere (exclamat) pro talibus ausis*
» IX, 609 *Omne aevum ferro teritur, primusque per artem* G. I, 122
» VI, 883 *Heu miserande puer, terram insectabere castris* G. I, 154
G. I, 156 *Et sonitu terrebis aves: horrebit in arvis* G. I, 151.
B. V, 39 *Carduus; et spinis surget paliurus acutis,*
G. I, 153 *Lappaeque tribulique, et fallax herba veneni.* B. IV, 24
» I, 219 *At si triticeam in messem, robustaque farra*
» I, 220 *Exercebis humum, frustra spectabis acervum,* G. I, 158
» I, 159 *Concussaue famem in silvis solabere quercu.*
AE. IX, 274 *Insuper his subeunt morbi, tristisque senectus,* G. III, 67
G. III, 68 *Et labor, et durae rapit inclementia mortis.*
B. V, 74 *Haec tibi semper erunt: tuque, o saevissima coniuæ* AE. XI, 158
AE. I, 634 *Non ignara mali, caput horum et causa malorum,* AE. XI, 361
G. IV, 454 *Magna lues commissa tibi est. Heu! perditam nescis,* AE. IV, 541
AE. IV, 561 *Nec quae circumstent te deinde pericula cernis?*
» IV, 547 *Nunc morere, ut merita es, tota quod mente petisti;* AE. IV, 100
» IX, 220 *Nec mea iam mutata loco sententia cedit.*
(v. 226-242).

En Abelis mortem vivissimis coloribus rapide descriptam:

AE. VII, 670 *Tum gemini fratres, adolent dum altaria taedis,* AE. VII, 71
» III, 33 *Alter et alterius praclato invidit honori,* [AE. V, 541
» II, 204 *(Horresco referens) consanguinitate pro-pinquum* AE. II, 86

AE. III, 332 *Excipit incautum, patriasque obruncat* [ad aras,
» II, 502 *Sanguine foedantem, quos ipse sacra-verat ignes.*
(v. 259-263).

In universo humani generis per diluvium excidio, Noë, iustissimus unus, a Deo leto eripitur:

AE. I, 155 *Tum pietate gravem ac meritis (mirabile dictu)* AE. IV, 182
» II, 427 *Qui fuit in terris, et servantissimus aequi*
AE. II, 134 *Eripuit leto, tantis surgentibus undis* [AE. VI, 354
G. IV, 282 *Ut genus, unde novae stirpis revocetur* [haberet.
(v. 287-290).

Leges Iudaeis bello pressis a Deo datae Veteris Foederis rebus gestis finem imponunt: hinc evangelicae narrationis exordium.

Christus nascitur:

AE. IX, 107 *Iamque aderat promissa dies quo tempore primum* G. I, 61
» VIII, 591 *Extulit os sacrum divinae stirpis origo* [AE. XII, 166
» VI, 812 *Missa sub imperio, veniens in corpore* [virtus AE. V, 344
» VII, 661 *Mixta Deo, subit cari genitoris imago* [AE. II, 560
(v. 321-324).

Eum, stella praeceunte, Magi ex Perside adoratam veniunt. Fama volat: indignatur Herodes innocentiumque puerorum horridam cladem imperat:

AE. VII, 81 *At rex sollicitus stirpem, et genus omne futurum* AE. IV, 622
» II, 37 *Praecipitare iubet, subiectisque urere* [flammis,
» III, 34 *Multa movens, mittitque viros qui certa reportent.* AE. IX, 193
» III, 236 *Haud secus ac iussi faciunt, rapidisque feruntur* AE. VII, 156
» VII, 157 *Passibus, et magnis urbem terroribus implent.* AE. XI, 448
» VI, 426 *Continuo auditae voces, vagitus et ingens,*
» VI, 427 *Infantumque animae flentes ante ora parentum:* AE. XI, 887
» II, 224 *Corpora natorum sternuntur limine primo.* AE. VI, 427

Nonne antiqui vatis longe futura prospicientis vox hic reddita est: «Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus; Rachel plorans filios suos et noluit consolari, quia non sunt (1)»?

Maiora tamen manent, quae vix credas e vergiliano ore promi. Ita enim Proba Dominicanam Coenam describit:

AE. VIII, 280 *Devezo interea propior fit vesper Olympo.*
» I, 218 *Tum victu revocant vires, et viscera nudant,* AE. I, 215
» I, 710 *Et dapibus mensas onerunt, et pocula ponunt.*
» I, 727 *Postquam prima quies epulis, mensaeque remotae;*
» II, 479 *Ipse inter primos genitori instaurat honores,* AE. V, 94
» XII, 196 *Suspiciens caelum; tunc facta silentia linguis,* AE. XI, 241
» XII, 173 *Dat fruges manibus, dulcesque a fontibus undas,* G. II, 243
» I, 733 *Implevitque mero pateram, ritusque sacrorum* AE. XII, 836
» X, 153 *Admonet immiscetque preces, ac talia fatur:* AE. V, 16
» III, 103 *Audite, o proceres, ait, et spes discite vestras:*
» V, 305 *Nemo ex hoc numero, mihi non donatus abibit;*
» V, 863 *Promissisque Patris vestra, inquit, mu- nera vobis* AE. V, 348

(1) Op. cit. t. II, ibid. ut supra.

(1) IEREM., XXXI, 15.

AE. V, 349 *Certa manent, pueri, et palmam movet*
[ordine nemo.
(v. 649-661).

Terraemotus, post supplicium summum a
Christo sumptum, totum orbem commovet:

AE. I, 128 *Interea magno misceri murmure caelum*
[G. I, 375
» I, 725 *Incipit, et rebus nox abstulit atra co-*
[lorem: AE. VI, 272
G. I, 469 *Impiaque aeternam timuerunt saecula*
[noctem.
» I, 330 *Terra tremit, fugere ferae, et mortalia*
[corda
» I, 331 *Per gentes humilis stravit pavor: inde*
[repente AE. VIII, 238
AE. IX, 709 *Dat tellus gemitum, et caelum tonat*
[omne fragore. AE. IX, 541
(v. 694-699).

Ingruit laevorum ominum horror:

AE. I, 96 *Extemplo commotae Erebi de sedibus imis*
[G. IV, 471
G. IV, 472 *Umbræ ibant tenues, tellus quoque et*
[aequora ponti G. I, 469
» I, 472 *Signa dabant: sistunt amnes, terraque*
[dehiscunt; G. I, 479
» IV, 481 *Quin ipsae stupere domus, atque in-*
[tima leti
» IV, 482 *Tartara, et umbrosae penitus patuere*
[cavernae. AE. VIII, 242
» I, 439 *Sol quoque et exoriens (cuncti se scire*
[fatentur) AE. XI, 344
» I, 467 *Tunc caput obscura nitidum ferrugine*
[textit.
(v. 700-706).


Christus, tertia die, a morte ad vitam revo-
catur, discipulis cum B. Virgine Matre in *Coe-*
naculo (quod erat spatiosum pro mensa con-
clave) orantibus, ianuis clausis, apparet, iisque
post commendatam pacem, in caelum ascendit.
Hic *Cento* finem habet:

AE. VI, 637 *His demum exactis, spirantes dimovet*
[auras AE. IX, 645
G. III, 109 *Aëra per vacuum, caeloque innectus*
[aperto AE. I, 153
AE. IV, 277 *Mortalis visus medio sermone reliquit,*
» I, 443 *Infert se septus nebula (mirabile dictu)*
» VII, 209 *Ac illum solio stellantis regia caeli*
[AE. VII, 210
» VII, 211 *Accipit, aeternumque tenet per saecula*
[nomen. AE. VI, 235
» VIII, 268 *Ex illo celebratus honos, laetique mi-*
[nores
» VIII, 269 *Servare diem, tot iam labentibus annis.*
[AE. II, 14
» VI, 546 *I decus, i nostrum, tantarum gloria re-*
[rum! IV, 232
» I, 613 *Semper honos nomenque tuum laudesque*
[manebunt.
» VIII, 302 *Et nos et tua dexter adi pede sacra*
[secundo
» VIII, 173 *Annua, quae differre nefas: celebrate*
[faventes
» III, 408 *Hunc socii morem sacrorum: hunc ipse*
[teneto
» II, 777 *O dulcis coniunx, et, si pietate merentur,*
[AE. II, 690
» III, 409 *Hac casti maneant in religione nepotes.*

Alia complura exempla fas nobis est pro-
ferre, quae, quod ingeniosissima, ni eruditus,
saltem videndi cupidus non parvam delecta-
tionem afferrent. Huc ergo consistamus: pro
lubitu suo, quisque integrum perlegat carmen;
quod si attente animo assecutus fuerit, poëtriae
virtutem fortasse maiora portendentem facillime
deteget. Quidquid erit, ex Probae *Centone* clare
constat, ipsam vergilianorum carminum studio-
sissimam fuisse, callida verborum iunctura Chri-
stianae religionis *μυστήρια* felicissime inlu-
strasse; idque sat est ut eius nomini saltem me-
dius honos tribuatur.

Scrib. in Porta Romatino, Kal. Augusti MCML.

MARCUS BELL.



LAPURDUM

(LOURDES)

*Vidi Lapurdum, quo mea millies,
Actos per annos, vota praeiverant;
Quo, dum gravaret membra somnus,
Mens alaeri volitabat ala.*

*Vidi, quod olim sidere pulchrior
Regina caeli visit, inhospitum
Nigransque Spelaecum, frequenti
Iam populo facibusque lactum.*

*Vidi (nec hausì parcus) uberem,
Quem rupe Virgo iussit ab arida
Manare, Fontem: vi superna,
Perpetuum medicamen aegris.*

*Audire visus sum mihi Virginis
Vocem, sub Antro suaviter editam,
Cum, qui vocaretur, rogata:
« Labis », ait, « vocor omnis Expers ».*

*Longas in horas, tum venerabilem
Specum tueri, tangere et oculis
Mulcere iucundis, decorum
Ceum solium libuit Parentis.*

*Ibat, redibat turba colentium,
Dabantque claras undique cerei
Flammæ; at horum nil videbam,
Cernere qui meliora possem.*

*Gavo⁽¹⁾ frementi (quippe recentibus
Aucto procellis) inscius adstiti;
Nec templa me, quae bina surgunt,
Continuere diu precantem.*

*Plus me polito marmore traxerat
Informe Saxum, quod pede candido
Regina pressit, cum puellae
Se dedit ingenuae videndam.*

*Hic me iuvabat certa, rosariis
Decerpta sacris, texere Virgini;
Hic vota nostro pro Leone,
Proque mea male christiana,*

*(Sed usque cara) fundere Gallia;
Hic adprecari gentibus omnibus
Pacem serenam, sempiterna
Quam requies cumularet olim.*

(¹) *Gavus* nomen est rivi, qui sacri specus oram fere allambit.

*Hic et propinquum sanguine quemlibet,
Seu morte raptum, sive superstitem,
Iuvit recordari, meamque
Alsatiæ, Mariae clientem.*

*Nec vos, Sodales, quos mihi fordere
Alfonsus almo iunxit, in atris
Cum ter beatis immorarer,
Praeterii, nihil adprecatus.*

*Moerens, amato denique limine
(Vale profatus non semel ultimum)
Cessi: domumque ulnasque matris
Deseruisse mihi videbar.*

*O urbs Lapurdum, quam sibi nescia
Maria labis legit amabilem
In roscida convalle sedem,
Prodigiis celebrem stupendis!*

*Te mente nostra nulla, vel acrior,
Expunget umquam cura; nec urbium
Eversor, Aevum: tu supremam
Exsiliū recreabis horam.*

F. X. REUSS.

GRAECA IN AEGYPTO POPYRA REPERTA

SALVE Aegyptia tellus, quae tam multo saecu-
lorum ordine in sancto tuo gremio ab iniuria
temporis servasti litterarum magnos thesauros!
His gaudet nunc litteraria respublica, atque
utinam magis magisque aliis gaudeat in poste-
rum reperendis.

Sciebamus Herondam exstitisse, cuius exi-
guae et mutilae supererant reliquiae; eum pa-
pyra plane suum recentiorumque artem redo-
lentem nobis aperuerunt.

Quis non desiderabat monumentum illud Grae-
corum sapientiae, quod est Aristotelis opus sic
inscriptum: « Πολιτεῖσι πόλεων ῥνή »? Optimam
illius partem, quae ad Atheniensium rempu-
blicam pertinet, papyra anno 1892, undique
laetantibus litteratis hominibus in lucem pro-
tulerunt, ex eaque lumen accessit ad totius ope-
ris rationem intelligendam.

Quid autem Caei luscinae dicam, Dyraei
cyeni aemuli, carmen suave; quid Menandri
comoediarum fragmenta redolentia atticum thy-
mum; Iperidis vehementes orationes aliorum-
que *κρημῆλις*, qui velut minora sidera in sere-
nissimo renident graecarum litterarum caelo?
O magnam quidem et vix credibilem deper-
ditorum operum evocationem!

Quanto gaudio afficeretur animus Iacobi illius
Leopardi, qui tantopere dolebat antiquitatis
librorum dissipationem, si novissima haec mu-
tilis credita papyris cupidus posset pervolutare
oculis? Qui sane ob unum Ciceronis librum
oblivioni surreptum tantum laudis praemium
praeclaro illi viro A. Mai tribuerit, quibus lau-
dibus celebrasset Anglos illos sagaces, qui tot
graecarum litterarum monumentis feliciter in-
ventis doctaque explicatis totum commoverunt
litteratorum coetum?

Anglia profecto primas obtinet in hac admi-
rabili graecorum scriptorum resurrectione; se-
cundae tamen deferantur Italiae, ubi doctorum
constituta societas pro facultatibus — o si plures
essent! — papyra emit, spe freta graecas locu-
pletandi litteras.

Paucis ante mensibus el. v. Hieronymus Vitelli in commentario quod inscribitur *Atene e Roma* (1) publici iuris fecit unum e papyris a el. v. Ernesto Schiaparelli emptum nuper in Aegypto peregrinante.

Negabo eum, si quaeris, magni esse momenti; nihilominus, ut Vitelli ipsius verbis utar, specimen in eo habes conventorum pecuniae mutuae hypothecae nomine obligatae magna cum gravitate et copia verborum, idque ducentis modo drachmis. Optandum sane ut hinc initium capiat aetas felicior inventis, quibus omnino reviviscat Graecia, magisque in dies expleatur lacuna omnium illorum operum, quorum desiderio vehementer tenemur; atque utinam Horatii illud, verbis ad aliam significationem conversis, saepius usurpari possit:

Multa renascentur quae iam cecidere....!

Ἀγροῦ Τόλῳ.

N. CAPO.

DE AUGUSTEIS NAVIBUS IN LACU NEMORENSI DEMERSIS

VETERUM cultus et cura rerum una simul ostendunt et nepotum pietatem in avos, et in antiquam sapientiam studium atque religionem. Quae quidem pietas, religio, studium, donec exstabant, non modo honorem et famam praeterito ac praesenti populo comparabant, sed (quidquid contra molita fuerit illa rerum humanarum domina fortuna, quidquid opprimentis hostis atrocitas et invidia congesserint) restorationem pristinae gloriae et immortalitatem spondebant.

Hinc optimo cuique populo suarum cura historiarum, hinc sollicitudo servandi monumenta praeorum, hinc ipsa maiorum suorum imposita nomina filiis filiabusque, tum quia maiorum gloria posteris quasi lumen est, tum quia recordatione illustrium parentum ad imitationem atque aemulationem, quasi exemplis domesticis, excitantur. Piet inde ut gens, ut populus, qui vel motu aliquo civilium temporum, vel socordia tepuerint et quasi consenuerint, repente praeter expectationem omnium laertos moveant, et quasi reddita iuventute revirescant.


Hoc singulis; at omnibus, at universo humano generi aliquid sublimius est, dum faustis effusionibus peractis singulare aliquid coram sole redit, et in conspectum hominum, de quo iam penitus desperabatur. Talibus excepta sunt plausibus fata pulcherrimarum urbium, quas Vesuvius mons cineribus, lapillis, lapidibus, flagrans ignibus et eructans, obruit, inque eas reviviscentes est peregrinatio perpetua et sollemnis nationum omnium visere gestientium, quod undeviginti ferme ab saeculis in Romana ditione et cultu florebat.

Haec equidem et mirabilia, et pulcherrima visu, et animis iucundissima nemo inficiabitur; quod autem nunc Romano ausu paratur in lacu Nemorensi, hoc neque pulcherrimum, neque iucundissimum fore, sed quod pulchritudinem omnem et iucunditatem longe praevertat, unicum et insuperabile prorsus iure tenemus. Nam, si qua futuris fides rebus esse potuerit, conspirantibus

una doctrina, pietate, et (cur non dicam?) curiositate hominum, eo ventum est, ut illae duae imperatoriae naves, quae illic olim iam inde ab Augusteo saeculo innabant, non modo ex imo lacu eruantur, sed, quoad fieri possit, restaurentur ac reficiantur, ut, quales olim, deliciosae et mirabiles visitantibus videantur.

Notum est quippe Caium Caligolam Augustum, in quo enormia quaeque fuerunt vitiis, luxu, amentia, potentia, divinis inhiantem nuptiis Dianae thalamum paravisse, ut a caelo descendens cum eo, Egeria nova, diutius habitaret. Itaque solemnem coniugio magnificentissime apparavit in lacu Nemorensi aedes, qui Dianae speculum consensu Latinarum gentium appellabatur, ut in speculum suum libentius illa succederet. Aedes autem hae duabus constabant navibus mirifice exstructis, sacellis, simulacris,

enim ex nostris regibus opes et divitias et luxum Crassi et Luculli, privatorum hominum, consequutus est), tantum ab opibus et potentia praeorum Caesarum imperatoriae nunc opes et potentia distant. Ex iis igitur, quae relata sunt ex Flavio Blondo, a secretis Pontificum viro, nat. a. MCCCLXXXVIII, mort. an. MCDLXIII, in opere illo cui titulus *Roma Restaurata et Italia Illustrata*, Leone Baptista Alberti satagente, mathematico viro, qui antonomastice Vitruvius novus excellentia nuncupabatur, et Cardinali Columna praecipiente, dicam naves illas larice ligno confectas, tabulis ita per latera et carinas dispositas, ut plumbeis lamnis, clavisque aeneis cubito productis haerent costis, et continerentur; per lignea vero et plumbea caementum exterius, quasi gluten deductum esse, flavum atque purpureum colore, contra quod nec



Nemorensis lacus prospectus.

aere, auro, argento, purpura rutilantibus, quin etiam lapidibus pretiosis ultra quam credibile sit, lauris, floribusque per tabulata viridariorum instar viridescens, suavisque umbra, suavisque halitu quaeque circum afflantibus, ut pulcherrimae Deae, quam nemora iuvant, nihil nisi gratissimum obiceretur. Interiores autem aulae, et cubicula, et conclavia nec Palatinae Augustorum domui invadebant, nec aemulabantur; longe enim praestabant luxu, divitiis, artium omnium ingenuarum portentis frequentes; Palatina quippe domus par homini, quamvis Augusto, Nemorenses aedes Divis pares constitutae sunt. Quid si Iuppiter ipse Pater, si Apollo convivae venirent ad nuptiale convivium, genero ille, cognato hic, blandituri?

Enormis potentia Caesarum, ne mutasse Olympum consanguinei illi animadverterent, satagebat. Hinc ego praesentium rerum scriptor aliis me felicioribus enucleanda linquam, quae in paupertate et exiguitate nostrorum temporum vix mente concipere, vix imaginatione attingere possumus; certe neque vidimus umquam, et usquam, et nullibi nostra hac aetate reperuntur. Quantum enim ab hodierno quovis Romanum distabat amplitudine imperium (nemo

aqua nec ignis aliquid possent. Interius autem aliquid mirabilius; nam creta primum per lignum omne perlata, dein super hac ferri liquentis quasi rivus diffusus, digitum crassitudine aequans; iterum autem super ferream hanc faciem, caementum illud protendebatur. Haec autem ferri cretaeque admixtio ita apparebat, ut eodem tempore quo ferrum liquesceret super molli caemento inferiori, caementum superius ferro imponeretur, quippe quia ita haerent, ita copularentur, ut non nisi mollibus utrisque et cereis, ut ita dicam, copulata esse omnia apparerent. Quod autem expectationem exsuperaret, habebatur in clavis aeneis, qui adeo coruscantes recentesque apparebant, ut oculis fidem facerent, se non tot a saeculis fuisse conflatos, sed vix hesternos a fabro artifice editos.

Haec ille, qui mox in Lib. V de re aedificatoria certiores nos facit fistulas plumbeas, quibus per viridaria navigiorum aquae ad fontes montanis de rivis deferebantur Traiani imperatoris nomine, stigmatibus inscriptos se invenisse. Quid ergo si asseruero mirabiles naves illas, quasi excellens artis et magnificentiae opus, diutissime super aquas ad Caesarum delictum stetisse?

(1) Ann. IV, num. 27.

Iam age, steterint; qua calamitate, qua vi descendere in profundum, ubi tot saeculis quieverunt? Nec tamen ignorabantur. Quippe traditione avorum edocti — vide quanta sit traditio, et quantum ponderis habeat! — et pagi Nemorensis incolae et oppidi saepe inter se, saepe cum advenis de illis navibus loquebantur; in hoc uno diversi, quod apud nonnullos de duabus navibus pererebuisset opinio, nonnulli tantummodo unam adesse profiterentur. Sunt qui putent naves infortunio repentino demersas; sunt qui existimant hominum scelere a tyrannide Augusti alicuius ultra tolerabilia saevientis abhorrentes; sunt qui inducent patratum aliquid gravius in eas, atque demersas, ut superstitionis turpissimae sanctuarium aboleretur; sunt denique qui dicitent indignantibus a Romanis submersas, ne in barbarorum potestatem venirent.

Quid si id et barbari fecerint per Romanum agrum vicinasque urbes late grassantes, et omnia ferro et igne vastantes, qui deliciosas circa Urbem et suburbana oppida domos, uti Hadrianaeam Tibure, Metellicam, Papiensem, Tusculanas subverterunt, incenderunt? Profecto non procellae impetu, qui in Nemorensi esse nequit, aquis obrutae sunt; non quassatae, non fractae. Ergo industria submersae.

Ceterum in has describendas mathematicus De Marchi XVI saeculo incubuit, qui et visendi miracula illa desiderio incensus, et auxiliante quodam Wilhelmo Magistro Lotharingio, usus aedicula, ubi fas impune aërem respirationi necessarium duas circiter per horas ducere, nec semel nec bis in lacum descendit. Supervacaneum duco modum aediculae huius portatilis enarrare; habetur enim fusius in opere eius,

5]

ALOISII CLASII LUSUS PASTORALES

XXV.

Hos intra solos placidosque in valle recessus,
Pronus ubi a meta non procul annus abest,
Si quis confugiat vicina egressus ab urbe,
Ut, se oblectando, recreet aegrum animum;
Nunc a sole caret, nunc frigora matutina
Devitans clausum se tenet ipse domi.
Humidulas horret nebulas, gelidasque pruinas
Non audet plantis tangere vel levibus;
Ac me, qui aestivis obnoxius ignibus ultro
Sustineo, aut nimbos perfero hyperboreos,
Fors tacite natum vocat infelicibus astris;
Ast ego damna poli nilve, parumve moror.
Utri sors potior? civine haud haec tolerantia,
An mihi, qui ludum scilicet ista reor?

XXVI.

Dic, precor, upilio lustrans alvearia, vin' mel?
Proh! desiderium mellis abesto procul.
Plebs te pungit apum, si per tua furta lacessis;
Et, nosti, haud casso vulnere pungit apis.
Tantula dulcedo, infelix, suspiria quanta
Deinde tibi...! at nihili pol' mea dicta facis,
Et ruis in ceras, ah! demens, iamque reducis
Ablato madidas inde liquore manus.
Aspice sed, laesas volucres ut penna corusca
Certatim ultrices in tua damna rapit,

quod praelo datum anno MDIC, anno MDCCCX Romae redditum est, curante Marinio, et inscribitur *De Architectura Militari* (cap. LXXXII). Aderat comes descendenti Wilhelmus ille Lotharingius, homo promissae densaeque barbae, quam, sub pectora ne deflueret et ne oculos perscrutantis importuna velaret, ille circum caput adducere intextam solebat. Hic non modo de aeneis clavis lucentibus, de caemento illo, deque pluribus mirabilibus narravit, sed etiam raptis et relatis inde partibus tum lateritiis, tum aeneis, tum aliusmodi suis verbis fidem fecit. Nolo crimen impingere: at cur secretum illud tenebricosum de loco? Numquid simulacra et gemmas et aurum inde abstulit, praeda debita quidem pretio auctori, non re, quippe res erant, non homini sed artibus, historiae, musis, humano demum generi debitae? Et quid feram de illis lateribus palmis tribus quaquaversus latis, purpuram splendore vincentibus, quibus pavimenta cubiculorum sternebantur? Et quid de scalis, quibus in nobiliores aedes descendebatur? Satis sit, ab eo non navem fuisse, sed palatium nominatam, aeneis trabibus, insignibusque artis operibus insignem.

Anno MDCCCXXVII Fusconius, mathematicus et ipse, iterum in rem conatus est, et, si praedam spectes circa notitias, felicis; nam tulit capitellum aeneum, et porphireticas, et serpentine laminas, et septuaginta abiegnas tabulas metra quinque circiter longas, latas em. 40, ad conficiendam nobilissimam quamque supellectilem aptas, et quadraginta lamnas lateritias excellentes et pulchras visu, quas ad pavementum conclavis eximii Alexander Torlonia comparavit, nunc autem facile alibi migraturas, palatium quippe ampliandae viae causa solo

Utque tibi haec os, audaces ferit illa lacertos:
I nunc, et liba mella reposta favis.
Metitur brevis hora nimis tua gaudia, post quae
Una tibi superat, pastor, amarities.

XXVII.

Mollis oborta rosa est tum, quum magis horrida saevit
Aeris ab argenti sidere facta dies.
Hanc, ceu prodigium, pastores undique adibant,
Tam nitidam mediis utpote frigoribus.
Atque unus calycem palpate manu, alter avebat
Halantes auras naribus excipere.
Captus amore Aquilo motabat leniter illam
Sic, foret ut Zephyri creditus aura levis.
Equis vere rosam tanto dignatur honore?
Sciscitor: atqui omnis pulchra perinde rosa est.
Pastor ait: Formosa minus non est rosa vernans;
Sed nimiae florent, vere favente, rosae.

XXVIII.

Quandoquidem, o genitor, (puerili aetate Menalca
Alloquitur) tepidi ver revehunt zephyri,
Suspice, ut illa, unam quam diligo, persica malus
Undique sit pulchre floribus aucta novis.
Nimirum, quoties eadem mihi cernitur, ingens,
Immensa exundat pectore laetitia.
Ipsam hanc tu contra securus conspicis, immo
Simplice dignaris vix, pater, intuitu.
Subridens tunc ille: Tenent quae te modo curae,
Me tenere olim; sed mea vita senis
Dissoluit fraudem, qua egignitur ista voluptas:
Actas, quae flores diligit, acta mihi est.
Experior solum quae te solamina mulcent,
Quum tueor grata pendula poma vice.

aequatur. Tunc etiam nuntiatum est ab iis, qui conducticiam operam Fusconio dederant suam, se vidisse statuas in intimis navigii, columnas, trabeationes aeneas, et mira sexcenta, auferre non potuisse mole, pondere, rigentibus nimium, adventante hieme, aquis.

Iamque eo pervenimus, ut nostra ferme tempora attingamus. Curnam ergo et qua potissimum causa cura haec inveniendi recruduit, immo flagravit? Rem ut accepi trado, ut alii narrant et scribam, utraque autem cum aliquid prolixum postulent proximo numero edam, una cum iis quae proximis annis tentata fuere, una cum iis quae facienda, quamprimum fieri possint, decreta sunt, quaeque iam omnium percrebrescentia sermone et plausu consentientis populi, et magna eruditorum hominum expectatione vulgantur.

H. DE VECCHI PIERALICE.

DE « CYMATOLOGIA »

EST novae doctrinae genus, « cymatologia », cuius propositi summa undis omnibus aut, proprius veriusque, formis omnibus fluctuosis studere, quae in rerum natura fiunt. Qui enim in disciplinam hanc incumbunt animo id concipiunt, in geographiae, quam physicam appellamus, campo, ab altissimis aëris gradibus ad reconditas terrae latebras fluctuationes continenter haberi: inde montium declivitates nihil aliud esse quam terrae fluctus, nubes saepe ex aëriis undis oculis subiectis constare, circum denique superque orbem quem incolimus, quocumque inquisiveris, fluctus et fluctuationes re-

XXIX.

Messem omnino meam pluvius defecerat humor
Tempore, quo nutrit semina cultus ager;
Seque videbatur madidos ea vertere ad austros,
Ac petere acutum, supplicis instar, opem.
Egrediens tandem Tyrrheno ex aequore nubes
Incubuit nostro conglomerata polo.
At quid, pro Superi! si quod vitale erat omen,
Eccidium vasto grandinis imbre tulit?
Crudele est fatum, rapidos quum torret ob aestus,
Sudorique aufert praemia danda meo;
Sed crudele magis, quum spem sub imagine blanda
Excitat in trepido corde, statimque necat.

XXX.

Sorte superba sua sublimis creverat arbor
Margine, quem gelido rivulus amne rigat.
Una erat arboreos inter pulcherrima foetus
Utere ab assiduo praetereuntis aquae.
Altera longinque formosa exstabat ab illa,
Rupis in abruptae nata supercilio,
Cui frons interdum, non alta humore fluenti,
Pallebat nimia languida pauperie.
Imbribus excrescens olim rapit impete rivus
Turbatas undas; aggeris oppositi
Scissa vorat latera, et caram prosternit alumnam:
Natali sospes altera sede manet;
Arentique super terra, per et invia saxa
Indiget, at nostram floret ad usque diem.

(Ad proximum numerum).

Latine vertit IOANNES BATTANIUS (1).

(1) Interpretationem hanc iura proprietatis tumentur.

periri, legibus certis obstricta, quae adhuc hominis indagatorem praestolentur ad ipsorum naturae et vis arcana revelanda.

Latissima igitur, recondita, magnique momenti disciplina cymatologica, quae tamen fundamentum primum in animadversionibus ponit, quibus omnes, licet pervestigandi artis ignari, intendere possumus.

Quod si tamen iis studendi occasiones non desunt, immo communes, frequentes facilesque praebentur, eo potissimum quaestiones inde manantes tot tantaeque multiplicantur, ut vita ipsa unius hominis vix deliberationi sufficiat. Idque planum fit si cymatologiae paene infinitam vix attingamus rationem, a terrae motuum fluctuationibus, ex altero ad alterum orbis terrarum polum propagatis, ad aëris, nubium, maris, lacuum, fluminum undas; ab arenae litoris dispositione, ad modum quo in summis aquae cursibus rivisque sabuli acervi ordinantur; a parvis illis rugis, ut ita dicam, a vento in pulvere productis, ad glacies durissime conglobatas, nivesque leniter fluitantes.

Sunt autem et undae sonorae, et luminosae, et vi « magnetica » et « psychica » generatae; sed hae nostram disciplinam effugiunt, quae, prouti superius memoravi, ad geographicas undas tantum spectat.

Cymatologiae princeps exstitit Vaughan Cornish, Anglus genere, qui rei notionem mente sibi finxit aquam considerans a ranunculo agitatum, in stagno quodam Londinensis vivarii a S. Iacobo, eamque perpendens eadem ratione commoveri, qua navis aequor proscindat, undas scilicet ex eodem puncto proficisci, ac paulatim ad infinitum iter sese deflectere: idque etiam effici, angulum a fluctuationibus illinc eductum, unde in duas partes ipsae partiuntur, constantem manere, quaecumque motus, qui eas generavit, fuerit velocitas.

In aëre contra diversa contingunt: itaque undae, quas missile quoddam telum suseitat, angulos maiores vel minores agunt quo maior minorve sit celeritas telo ipsi commissa.


Atqui non alienum abs re videtur, cum Vaughan Cornish, hanc undam definire « permutationem, quae in superficie fit duorum corporum, alterum in altero comparate sese moventium ». Itaque haec accidit in aëre permutatio cum levior aetheris ordo super ordinem graviolem labitur: tunc altius ordinis gravioris statumen, non aliter ac lamina percussa, vibrat, vibratque pariter ex contactu ordo alter. Inter has trementes planaeque aëris superficies diversi constituuntur fluxus, qui quidem non raro nubes longis ordinibus iisque tractu paritendunt, crispatas deinde nubes ipsas effingunt, atque sabuli instar evanescentes. Hi igitur, quos vulgo « cirros » appellamus, in aëriis altis ordinibus aërias undas adesse indicant.

Sed a caelo in terras descendamus: agendi ratio, per quam sabulorum fluctuationes in litore maris aut fluminum gignuntur, una eademque permanet. Marini etiam fluctus a venti per aquam decursu instruuntur simul atque aëriae invisibiles undae; quamquam res impedita ma-

gis et contorta reapse nobis tunc obicitur: nullo enim vento adiuvante, una gravitatis et sui ipsius ponderis vi libere cieri et agi marinae undae queunt. Adde eas maiore celeritate trahi, quam ventum, qui ipsis originem dederit, idque ita, ut in Cantabrico mari saepe autumno vel hiemali tempore, quietissimo licet aëre, ingentissimos fluctus in litus iactatos videre fuerit, procellam praetergredientes, quae postero tantum die secuta est.

Tempestatem itaque illas moventem et praecurrunt et nuntiant: eequid dubii « undarum disciplinam » commodo atque utilitati scientiae futuram?

FORFEX.



DE CASSIO SEVERO ⁽¹⁾

II.

Si quemlibet librum, benigne lector, evolveris, in quo de populi nostri rebus agatur, nonnulli sane tibi occurrent homines, quibuscum Cassium comparandum putes. Nam si parumper animo finxeris hominem, qui lingua effrenatus supra quam cuiquam credibile sit, idemque pervicacissimus temporis acti laudator in senatus ac fori servitutem, prout sese offerat occasio, immodice invehatur; qui deinde dicendi vi ac facultate utatur ad novarum rerum civilium sectatores percellendos; qui etiam praecelara reclamazione, tum orationibus, tum libellis, ipsi Divo Augusto eiusque in republica sociis, licet in dies inimicitias colligat, acerrime obtrequet; qui denique exsul quoque bonisque exutus eadem actitando recentia veteraque odia advertat, ante oculos nimirum Cassii adumbratam quodam modo habebis imaginem (2). Sed ad singula descendere iuvat.

Ille rerum antiquarum auctor locupletissimus Tacitus in IV^o *Annalium* cap. 21 de Cassii vita ac moribus mentionem iniicere et quandam eius petulantiam reprehendere videtur haec tantum verba adhibens: « Cassius... sordidae originis, maleficae vitae », cum, contra, 26^o de Oratoribus capite Cassium ipsum multum ceteros insequentis aetatis oratores superare « et varietate eruditionis et lepore urbanitatis et ipsarum virium robore » adfirmare non dubitet. Tacitus igitur arguit hominem, oratorem laudat. At, verum si loqui volumus, locutioni in primis quae est « sordidae originis » haud temere auctoritas vel fides adiungenda est, cum de hac re nihil Seneca rhetor memoriae prodiderit, qui tamen Cassium penitus procul dubio pernovit, eiusque facta moresque latius in controversiarum libris nobis tradidit. De verbis autem quae sunt « maleficae vitae » haud videbimur a vera ratione abesse longissime quum hoc adfirmaverimus, ea nihil vel certe parum auctoritate valere; nam qui sibi animo finxerit quid Tacitus de re publica sentiret, quid de unius dominatu iudicaret, respondebit, arbitror, nulla interposita mora, in Cassii mores non sine causa romanarum rerum scriptorem invehi. Tacitum enim

(1) Cfr. num. sup.

(2) Memini ad hoc clarissimum illum virum magistrumque meum Felicem Ramorinum, apte et apposite Cassium appellare solere *Lo Sbarbaro dell'antichità*.

in eorum numero fuisse constat, qui ad regiae potestatis arbitrium sese accomodarent, utpote quae et necessaria, licet periculosa esset, et apta ad omnium utilitatem videretur; ille quoque « bonos imperatores voto expetere qualescumque tolerare » (1) aequum esse iudicabat; qua de causa non mirum est si Cassium quoque, acerrimum novarum rerum obtrectatorem, maleficae vitae coarguerit.

Utrumque est, nobis profecto, qui, tot interiectis saeculis, nulla praecudicata opinione ducimur, haud omnino vituperanda huius « Plautinae prosapiae » (2) oratoris videbitur vita. Ac non immerito quidem Cassium immodice rixabatur in tanta rerum omnium conversione ac perturbatione, quo tempore principes superbe ac crudeliter omne loquendi audiendique commercium ademerant, videbantque homines quid ultimum in servitute esset, et populus usque adeo submissus et abiectus erat, ut non modo dominationem ferret, sed illi etiam servili more se addiceret.

« Eloquentiam, ait Tacitus, sicut omnia pacavit Augustus » (3), ut prorsus non dignus quem reprehendamus videatur Cassius, qui diu multumque, pro veteri illa populi Romani maiestate, quanta potuit dicendi vi ac facultate, contendit ne flexanima illa atque omnium regina rerum eloquentia, iam a civili turba et foro ad ficta argumenta, ad umbratiles exercitationes traducta, repente obmutesceret. Dedit sane Cassius plus stomacho quam consilio (4), quod ceterum ei capitale fuit; fuerit sane nimis ardens atque concitatus; sed si vera loqui volumus, hac scilicet nimia et vecordi libertate eius gravitas magna ex parte continetur.

Verum Cassii mores, qui fuerint, ut magis magisque intelligatur, nonnulla in primis memorare iuvat, quae nobis scriptores eius aequales vel insequentis aetatis prodiderunt, unde omnis eius vita quodammodo exprimitur, sive is aliquem in iudicium adducit, sive alicuius causam dicit, sive etiam lepore ac dicacitate, vel ironia dissimulantiaque orationem condit. Atque hoc primum animadvertendum est, Cassium mira quadam animi oblectatione, seu voluptate affici quotiens in accusationes descenderet, contra eos praecipue qui in numero Augusti assentatorum essent. Hac de re Quintilianus in XI^o *Institutionum* sermonem habet, eo loco in quo agitur « de decoris custodia circa eos, contra quos orator dicit ».

Monet enim scriptor hoc agendum esse in omnibus statim accusationibus, ne ad eas libenter descendisse videatur, ut Cassium fecisse constat, qui ubi primum coram Nonio Asprenate fuit, quem ille in iudicium adduxerat utpote cum « convivas centum et triginta veneno occidisset », (5) summa voce: « Dii boni, inquit, vivo, et quo me vivere iuvel Asprenatem reum video » (6). Quam graphice depicta his verbis est

(1) *Hist.*, IV, 8.

(2) Obscura haec quodam modo locutio, quae italice reddi potest *canina razza*, quae Caecilius in Minucii dialogo cui tit. *Octavius* utitur, vitam Octavii naturamque describens, Cassium Severum et ipsa subtiliter exprimit. Hanc locutionem Georgius Goetz sagaci disputatione illustravit in *Musei Rhenani*, T. XXXIV, an. 1879.

(3) *Dial. de Or.*

(4) *Quintil. Inst. Or.*, X, I, 117.

(5) Cfr. *Plin. Nat. Hist.* XXXV, 12.

(6) *Quintil.*, XI, 1.

Cassii imago, quem vere incensum, concitatum, nimia quadam ira pereitum quasi oculis aspiciamus.

Sed praeterea non dubitavit Cassius, maledictis Augustum ipsum insectari, qui « consuluit senatum quid ea in re officii sui putaret » (1) et ipse una cum Asinio Pollione, praestanti eius aetatis oratore, quasi metu quodam accusatorem Asprenatis afficeret, in iudicio, ut solebat, adesse voluit inque subselliis per aliquot horas sedit.

Accepimus autem, Macrobio auctore (2) « Cassium iracundum et acrem multos in iudicium vocasse, qui a iudicibus absolvi solebant »; quibus ex verbis hoc etiam fere effici potest, iam ipsos Cassii adversarios intellexisse eum nimio accusandi vel potius increpandi desiderio flagrare, eundemque civilibus studiis in accusationibus moveri.

Adde facetum illud Augusti, qui et ipse, cum sciret plerosque reos, Cassio accusante, absolutos esse, et architectus fori (Augusti) eum expectationem operis diu traheret, ita iocatus est: « Utinam Cassius Severus et meum forum accusasset! » Intellige: « tum mox absolutum erit forum »; ludit Augustus in verbo « absolute » quod et reum absolute et opus significat.

(Ad proximum numerum).

IOSEPHUS MARRA.

ANNALES

Pax sinensis rata — Melitensis motus — Transvaalianum bellum — Seditiones contra Turcas — Columbiae in Venezuelanam rempublicam bellum — In aedibus Vaticanis.

PACIS « chirographum » subsignatum tandem aliquando ac ratum sanctumque pro foederatarum nationum parte innotuit: deest haecenus Sinensium magistratum approbatio, at quamprimum despondent diaria eam quoque rei accessuram. Gallis copiis praesidio Pekini relictis Marchand tribunus, notum profecto nomen, praepositus est, quem immo mirum fuit a Waldersee, Germanorum imperatore ac supremo foederatarum duce, laudibus praecipuis esse cumulatum. Cautum itaque novum hunc honorem arbitrantur in pretium moeroris, quem ob negotium illud celeberrimum a Fashoda dictum, suis ipsis a magistratibus ille retulit.

Melita in insula comitium popularium contra nova vectigalia recens ab Anglis decreta frequentissimum habitum, quippe cui ad quindecim usque millia civium adfuerunt. Orationes ibi vehementes recitatae; moxque turba ingens regalem, quam vocant, viam implevit atque ante aedes « militarium sodalicium » hostiles protestationes elicit. Populus enim anglica arrogantia nimis lacessitus passim commovetur; anglici custodes maxima cura res advigilant.

Ultima ex Africa a Kitchener imperatore nunciatum est sese apud Gorringer locum Boerorum ducem Krutzinger proelio superasse, atque alibi circa Steijnburg urbem Erasmus

atque Cachet duces captivos fecisse, hunc immo mortifero vulnere fuisse sauciatum. Vicissim fatetur imperator ipse Boerorum cohortem, quam Theru moderatur, quinquaginta Anglos milites Bethesda versus iter facientes coepisse, non sine pugna, unde dux ipse anglorum vulneratus excesserit: captivi tamen omnes armis vestibusque expoliati libertati redditi sunt.

Haec inter Hibernorum quidam populi orator, William Redmond, Kruger praesidem Haga in urbe adiit, qui ei, ob palam factam ab Hibernis benevolentiam gratias multas egit. Subdidit autem evulgatum recens a Kitchener decretum, orationemque a Chamberlain ministro recitatam, Boeris futura stimulos, ut bellum perquam acerrime, persequantur: negavit insuper Boeros umquam in hostes instruxisse barbaros armis, vel incitasse, sed potius id admissum ab Anglicis ducibus adseruit.

Quae dum in infinitum adhuc africanum bellum protrahunt, Europam commovent atque Americam novi bellici rumores. Nos enim circa Balcanicos montes infremere procellam audimus. Albanenses in Montis — nigri finibus ad viginti usque hominum millia armis instructi discurrunt, timentes ne huius reipublicae princeps ipsorum fines vicissim petat. Interea Turcarum rex, post multa incassum hinc et inde agitata, designaturum se negavit quae Gallus legatus atque sui ipsius magistratus constituerant de Byzantii litoribus ipso in portu occupandis iuxta iura a saeculis Gallis tradita. Quare Constans, Gallorum legatus, minitatus est brevi sese Byzantio profecturum, ni edatur statim ac vulgetur decretum, quo pactiones illae sanciantur.

Americani meridionalia sua littora bello pesumdari adhuc vident, quod Venezuela inter atque Colombia rempublicam ortum est. Castro imperatorem, Venezuelae praesidem, foedus iniisse tradunt cum finitimis nationibus Equator, Nicaragua, quorum exercitus iam parati sunt ad Columbiae fines occupandos.

Sed dum haec agitantur, Foederatae Nordicae Civitates, quarum in tutela Americanae res esse paene videntur, suam classem instruunt, ut inter bellantes victoriae pretium ipsae consequantur. Plurimum enim eorum interest ut Panama freto, arrepta occasione potiantur. Itaque loricate naves plures, ad advehendos pedites equitesque aptae, missae iam sunt ad fretum tutandum atque occupandum.

In Urbe omnium laetitia et gaudio feliciter habita S. Ioachim festiva commemoratio, qua *onomasticon* quoque Summi Pontificis celebratur. Sacra solemnia in templo extra Leonina moenia Patriarchae sacro maxima pompa peracta: in aedibus Vaticanis a Pontifice recepta, uti assuevit, familiari more auspicia atque auguria aulae suae omnis. Insolitum autem fuit summoque Patri perquam iucundum lucis electridis machinis albo in linteo videre depicta pulcherrima ac praecipua loca Coemeteriorum Christianorum circa Urbem, quae illustravit cl. vir Horatius Marucchi, christianarum antiquitatum peritissimus.

POPICOLA.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In Anglia utriusque coetus sessiones regali decreto prorogatae, in quo multa et praeclara de rebus publicis Anglorum, de Sinensibus negociis prospere expletis, de regalis principis visitatione ad Australianos praedicantur, atque faustiora spondentur de bello Transvaaliano proxime absolvendo.

In Serbia novarum oratorum electiones maxima quiete et ordine habitae. Passim mendaci calamo exscripta retinenda sunt, quae diaria nonnulla de seditionibus haec vel illic obortis sunt calumniata.

SCRIBA.

SPATIO DEFICIENTE AD PROXIMUM NUMERUM

De fabula Milesia, quae inscribitur « Quo Vadis? », cum Manzoni « Sponsis », comparata. Scripsit ANTONIUS CIMA - De legalitate coemeteriorum Christianorum. Ex ineditis MARIANI ARMELLINI - Vita functi viri clarioris, etc.

AENIGMATA

I.

Abrogat, absolvit *primus*, qui privat et arcet,
Qui in cauda est semper, semper et in capite.
Alter per saltus saltat tutante Diana.
Totus dat vires rhetori et agricolae.

II.

(Consonae immissio, Italice *incastro*)
Rustica tecta sumus pastoribus atque colonis.
Infers si bipedem liquidam, miranda tueris.

DIGAMMA.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet carmen recentissime editum, cui titulus:

XV KAL. SEPT. MDCCCCI

DIE SACRO

OB MEMORIAM IOACHIMI PATRIS

LEONI XIII P. M.

SODALES ALFONSIANI

Aenigmata a. IV, n. XIII proposita his respondent:

1) Lux, E-xul 2) Sat-ira.

Ea rite soluta miserunt:

Ed. Bianco; Fr. Xav. Reuss; Th. Vinas Sch. Piar. Roma — Alois. Giuliani, *Sarzana* — Giul. Schenz, *Ratisbona* — Fr. Sallarés Sch. Piar., *Sabadello* — Societas philologica Mediolanensis — Princ. Gordon, *Mancunio* — Dr. Vinc. Lakatos, *Keszthely* — Cam. Straschill, *Villaco* — Car. Stegmüller, *Sabaria* — D. Le Provost, *Briocem* — Inl. Sernatinger, *Dresda* — Ad. Huza, *Grybovia* — Coll. Sch. Piar. *Stellae* — Ant. Lassota, *Mandela* — Lud. De Rubeis, *Iguvio* — Wilfr. H. Wrench, *Edimburgo* — Petr. Garrone, *Pezzana ad Vercellas* — Ver. Cariolato, *Vicentia* — Seminarium theologicum Neocomense — Alex. Sauer, *Francofurto ad Moenum* — Fr. Altobelli S. I., *Neapoli* — Ioan. Battanius, *Volaterra* — P. G. Z., *Modoetia* — B. Vannini, *Florentia* — Ioan. Cantono Ceva marchio, *Ronco ad Bugellam* — M. Belli, *Portu Romatino* — I. Szymaitis, *Opitoloki* — Georg. Maurer; Ioan. Brill, *Bonna* — Hild. Guepin, *S. Dominico de Silos ad Burgos* — Ad. Skrzypkowski, *Swinice* — Eug. Sosio, *Bormio* — Alb. Sesia, *Vercellis* — Ign. Aguilar, *Morelia* — Alois. Cappelli, *Senis* — Aug. Mager, *Seccovio* — Aug. Roberge, *Chicot in Canada* — I. Walter, *Neo Eboraco* — Am. Robert, *Marteville* — V. Hertel, *Mendhausen* — Val. ab Aletrio, *Tusculo* — W. Matloch, *Maia* — St. Figielski, *Rypino* — A. Laforteza; M. Vidal, *Palma* — H. Gini, *Taurinis aquis*.

Sortitus est praemium

LUDOVICUS DE RUBRIS

ad quem missum est opus, cui titulus:

ARNALDO COCCHI

DEGLI ANTICHI RELIQUIARI

DI S. MARIA DEL FIORE E DI S. GIOVANNI
IN FIRENZE.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis Phil. Cuggiani.

(1) Sueton. Aug., 56.
(2) Saturn. IV, 7.

PER ORBEM

SANTOS Dumont, aeronauta ille audacissimus, ita animum mentemque meam attraxerat, ut potius quam per orbem inquietus viator me deducere, munus collegae tecto nomine RUFO commiserim, et Lutetiae Parisiorum permanerem ad nova conamina videnda, quae volentem hominem praemio constituto honestare debebant. Aer serenissimus erat, cum levi flante vento, Sancti Claudii e planitie, coram Rolando Bonaparte ceterisque iudicibus, hora sexta circiter, solutae funes sunt liberque volatus aëro-globo permissus acclamante circa multitudine magna. Dumont in sua machina Eiffelianam turrim primum petiit, eamque facili tentamine circumvixit: redeundum tunc illi erat, cum paulatim globus gressum remittit, ascendit, forsitan ut favorabilem aëris cursum inveniret; at paulo post attenuari posterior globi pars visa est, qui primum stetit aliquantulum, mox retrocessit. Aliquid enim certe in machina fractum erat, quo morari iter globus cogebatur, qui statim cadere non sine quadam celeritate coepit. Metus ingens corripit spectantes nos omnes, qui conclamare voce una auditi sumus, dum globus in domus cuiusdam tectum penes Trocadero aedem concidit, atque incredibili fragore ictu dehiscit. Velarium aedium muris haeret, navicula suspensa alibi manet una cum Icaro audaci, quousque vigiles concurrunt, eorundam porrigit, sospitemque ad se tandem pertrahunt. Ecquis crederet? Quieto serenoque vultu vir nihilominus apparebat firmaque voce professus est ex imperfecta globi inflatione rem sibi contrariam evenisse. Quidquid fuerit, certum est me hodie victoriam quam concupieram nuntiare non posse; quin etiam Deutsch, praemii constitutorem, eiusque socios spem quasi amisisse, quippe qui globum quaerent, quem non tantum pacato aëre agere liceret, sed etiam per ordinariam caeli tempestatem absque nimia difficultate ad iter complendum impellerent.

Revocant haec in mentem ausum alterum, quem tamen longe diverso consilio pertentavit Londini Conan Doyle, milesiarum fabularum celeberrimus scriptor. Qui cum flagrante nimis horum dierum aestu sese paene viribus confectum animadverteret, naviculam conscendere constituit, seque in nubes usque ad aethera efferre, quo frigidior tandem aërem inveniret. Igitur media circiter die, dum urbs late candens quasi clybanus exardesceret, ipse *Iupiter* in globum prosiluit, una cum Spencer aeronauta deditque vento navem. Heu vero quam misere concepta spes volantes fefellit! Quo enim ascendebant magis, eo magis ad vulcani os accedere propius sibi videbantur. Obstupescerebat Spencer ipse, qui passim tentatis iam itineribus cum altitudinem quingentorum vel sexcentorum passuum exsuperasset mitiorem aëris temperiem se invenisse memorabat. Nec satis: nam cum mille et quingentorum metrorum altitudinem attingissent aëris fervor ita exerevit, ut Conan Doyle poeta non modo corpore liquesceret, sed paene iam animo destitueretur. Itaque viatores rati impossibile sibi esse frigidior consequi aërem, globum in descensum compulerunt, sospitesque ambo in arva pervenerunt. Inferunt inde physica-rum rerum studiosi maximos aestus, quos Americani, Lutetienses, Londinenses persentiunt, ex ventis quibusdam calidissimis oriri, qui maxima altitudine discurrunt, suumque calorem circum ubique atque in terram efferunt.

Maluissent profecto, si oblata, similem sibi sortem puellae illae, quae Arches ad oppidum

Galliae advehantur. Occurrit enim eorum curriculo series ferreorum curruum, quae Noyant e loco obvenerat, omnesque miserrime morti aut gravissimis dedit vulneribus.

At si viatorum vellem prosequi acumnas, caedes referendae essent curruum intima sua vi actorum, quos «automobiles» nuncupavimus. Pauca tantum attingam. Dives quidam Lutetiensis mercator huius generis in curru ferebatur, cum petroleo incenso, cuius flamma rotae agebantur, adustus misere est. Similia Corsica ex insula innotuerunt, ubi, privati sodalicii ausu, caput Corsicum inter et Mantinum, huiusmodi vehibus iter expletur. Vehes enim duae viatoribus refertae cum candente e cortina refluisset ignitus petrolei humor, incensae protinus sunt, viatoresque nonnulli adustiones, vulnera passi, unusque morte inde confectus.

Ex his autem incendii victimis nullam reputo adeo senem fuisse ut Russica illa mulier Plaskovia Fedorovna Bolkunow, quae mox Petropoli obiit. Obiit quidem tot annis plena quot paucis contigit. Et profecto in sua iuventute, cum decimumquartum annum ageret, ipsa viderat Moscovitarum urbis capitis incendium, cum a Gallorum copiis capta urbs est. Rei immo anus illa vetustissima ad unguem recordabatur, quippe cui immane illud facinus post ipsum saeculare aevum delapsum in mentem horride redibat.

VIATOR.

VARIA

Telemetrum acusticum.

Ineunte proelio magnum utrisque acierum ducibus erat subsidium ad cognoscendum hostium ordinem fumus, qui ex conflagrantibus tormentis bellicis erumpebat; ipso autem, adhibita ratione apparentis nubeculae et auditi fragoris, facile reperiebatur quot passus adversae distarent acies, qua norma iuxta ballisticae disciplinam, tormenta ipsa efficaciter pilas ferreas contra intorquerent. Nunc, inventis pirogranis fumo carentibus, nihil superest, cuius ope, quod antea noverant, innotescat. Italico in exercitu Aloisius Giletta dux machinulam, seu instrumentum condidit, ut, ex fragore fulminantis ballistae, distantia, locusque, unde fulminet, indicentur. Bellicae rei administrator, auditis idoneis negotio viris, iussit ex officinis Papiensibus, satagente ipso inventi auctore ac dirigente, plura eiusmodi confici, ut aestivis his in advelitationibus italici exercitus experimento probentur. Nomen autem ex natura officioque depromptum impositumque est; nam acusticae disciplinae legibus intervalla metitur.

«Helladotherium» recens inventum.

Helladotherium vetus, adhuc vivens repertum feliciter, seu *Ochapi*, ut indigenae appellant, magna zoologiae cultorum laetitia nuntiatur. Mammiferi animalis huius — de quadrupede agitur — olim Graecae Asiaticasque regiones Europae proximas incoluisse certum est; at, quo fato, nescio, seu venatione atrocissima, seu soli aërisque perturbatione superveniente, prorsus ibi perierat, nec, praeter ossa, quae hinc inde eruebantur, aliud supererat. Ex hoc, sententia mentibus omnium haerens, animal inter fossilia amandabat, speciemque deperditam penitus decernebat. Nunc inter Congum et Ugandam media in Africa visendum se obtulit, degitque in nemoribus Ituri, et propter Semliki

ripas. Bina semper procedunt ac vivunt, quasi coniugii legem servantia, eorumque corpora optime «anacephaleosis», et ferme compendium plurium animantium dicerentur. Tapiri enim irrequietum caput habet, equinum crinibus nobile collum, asinorum umbrosas aures, tergora costasque iuveni. In fronte rubescit pilis flammescens ad purpuram; at nigra taenia per nasum descendens nares utrasque ambit. Aures vero, colla, iubae, et armi rubri sunt at stellati maculis purpureis, coccineis mirabiliter visu iucundis, quasi totidem gemmae exlegi manu fuissent intextae. Crura sunt discoloribus fasciis zonisque variegata instar illius quadrupedis, quem zebam vocamus, qui aliquid medium est inter bovem, asinum, equum et camelopardalim; in hoc autem discrepat, quod, ubi albae fasciolae nigris interseruntur, albus color fulvis maculis et quasi aureis guttis distinguitur. Quamvis more bovum, camelorum caprarumque ruminet, cibum a stomacho revocans ac remandens, superiores dentes, qui incidant ramusculos, herbasque, frondesque, non habet; sed haec omnia prehensens lacerat decerpens, damnum non mediocre germinantibus laceratione immiti istiusmodi adducens. At lingua, quae, supra quam credibile sit, mobilitate viget, prensilis est, versatilisque sicut camelopardalis lingua, quod cibos cum arripuerit per molares deducit, ac terendum distribuit, nescio usque ad quae profunda stomachi, retractu linguae, molita referens atque sepeliens; quae autem non molita folia ibi abdidit exeret in malas molienda, terenda. Hanc anacephaleosim, compendium hoc animalium longe inter se diversorum, quo equus, asinus, zebra, bos, tapirus, camelus, camelopardalis copulantur, locorum incolae barbaro sermone suo *Ochapim*, uti dixi, nuncupant: quo nomine quid significare velint ignoro; certe connubium tot animalium innuere non credunt. Nostri viri *Helladotherium* nuncuparunt, et nos *Helladotherii* nomine consecramus speciei reviviscentis apparitionem.

Ioci.

Inversa Spartanæ responsio.

Conducticios Armodius dabat equos. Advenit Strophius dives oppidanus, equum poscit, de pretio convenit; iamque loris iniiciebat cupidus manus: — Nec ibis, nisi praesoluto pretio. — Tum Strophius indignans: — Mene ignoras? Anne credis me abiturum, asturconem tuum fraude mala venditurum, et sine eo ad te rediturum? — Falleris — inquit Armodius — non enim te sine equo, sed equum sine te in viam effuso timeo rediturum.

P. d. V.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

DOCT. R. LA CARA, *Lyricorum Specimen*. — Plutiae, ex off. I. Bologna La Bella, MCML.

De bonis litteris disseruit ALOISIUS MANNUCCI doctor philologiae. — Emporii, ex off. Titi Guainai, MCML.

Strenna delle Missioni Cattoliche per l'anno 1902. — Mediolani edid. officina S. Iosephi, MCML.

ROME, la question d'Art e la question Politique par ANDRÉ MELLERIO. — Lutetiae Parisiorum edidit H. Floury, 1901.

Carmen saeculare. Illustrazione e commento del Prof. ENRICO LAMBIASI. — Neapoli, ex off. Mich. D'Auria, 1901.

De Timothei Christiani et Aquilae Iudaei dialogo scripsit DONATUS TAMILIA. — Romae, ex off. Forzani et soc., 1901.

Pójdż ze Mna. Libellum precum in Lingua Polonica occasione anni Iubilaei edid. F. MALARZ. — Romae, via Vespasiano 69, MCML.

* FIDES *
 (Italice Violino)
 quod musicum organum
STRADIVARIUS
 CREMONENSIVM ARTIFEX CELEBERRIMVS
 CONFECIT
Romae veniunt.
*Negotium agitur apud Commentarii VOX URBIS admini-
 stratorem, ROMAE, via Alessandrina, 87.*

LIBER (vulgo "ALBUM,")
 praecipua Urbis referens, pulchri-
 tudine insignis atque, commen-
 tarii *Vox Urbis* moderatore iubente, expresse
 conflatus, apud eundem commentarii admi-
 nistratorem, ROMAE, VIA ALESSANDRINA, 87,
 ven. lib. 1.50.

**DUBIA ET RESPONSA SUPER EXTENSIONE
 IUBILAEI ANNI MCM** ad universam Ecclesiam
 proposita in commodum confessariorum a THOMA ARIZ-
 ZOLI Missionario Apostolico Imperiali, Sacrae Poeni-
 tentiarum officiali.

Dubia huiusmodi explicant facultates quas Summus Pontifex
 concedit in ordine ad Iubilaeum exercendas et complectuntur prae-
 cipuos casus qui in Iubilaeo proponuntur. Responsa sacrae Poeni-
 tentiarum, *etiam recens data, quae opus fuit memorare*, memorantur.
 Accedunt Constitutio pontificia super extensione Iubilaei et, maxima
 ex parte, *Monita* ex Constitutionibus Benedicti XIV de usu *facul-
 tatum confessariis tributarum* excerpta.

Opusculum venit lib. 0.50 apud comm. *Vox Urbis* administra-
 torem, ROMAE, via Alessandrina, 87.

FIGURAE URBIS ROMAE
 ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE
 COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO
Veniunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS
 (m. 1.10 X 0.24)
 qui sociis commentarii VOX URBIS dono datur,
 venit singillatim L. 2.50
apud comm. VOX URBIS Administratorem.
 SI QVIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA
 EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

Nuperrime prodit

LOLLIUS, sive de propecta latinitate, PETRI ANGELINI
 liber, constans
 paginis CIX, excerptus ex Commentario *Vox Urbis*. - Venit
 lib. 1.50, apud eiusdem Commentarii administratorem,
Romae, via Alessandrina, 87.

Ciapponi Franciscus et Soc.

OFFICINA
 ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS
 PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS
 PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS
 TEMPERANTIA IN PRETIO — DILIGENTIA IN OPERE
 ROMAE — VIA SISTINA, 129 — ROMAE

LE LAUDI LATINE
 E
IL CANTICO DEL SOLE
 DI
S. FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro
 rei longe peritissimo, conscriptam, continentur *laudes latinae* cum inter-
 pretatione italica, *Canticum Solis*, necnon illa *Speculi perfectionis* capita,
 quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem proxime
 alii subsequenter ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* comparandam,
 Iulius Salvadori, litteris tradendis doctor egregius, maxima edidit cura.
 Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administrationem venit L. 0.50, in
 pauperum levamen.